DISSERTATIONIS PHILOSOPHICAE

DE MODIS ADQVIRENDI IVS IN RE ET PRAESERTIM DOMINIVM SECVNDVM PRINCIPIA IVRIS NATVRALIS

PARTICVLA PRIMA

DE IVRE IN RE NOSTRA ET ALIENA

CVI PRAEMITTITVR

TRACTATIO METAPHYSICA

DE ACTIONIBVS LIBERIS

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
ERNESTO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQVA
CAESAREAE MAIESTATIS OMNIS EQVITATVS CVM IMPERIO DVCE DVARVMQVE LEGIONVM EQVITVM CATAPHRACTORVM ET PEDITVM PRAEFECTO

PERMITTENTE
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
DISQVISITIONI ERVDITORVM
SVBMITTIT

PRAESES
M. IOHANNES ERNESTVS GVNNERVS
RESPONDENTE
ADAMO A PRITZBVER,
MEGAPOLITANO I. V. CVLTORE.

DIE XXI. IANVARII MDCCXXXXVII.

IENAE APVD IOH. CHRIST. CROEKERVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRIDERICO
QVINTO
REGI
DANIAE ET NORWEGIAE,
WANDALORVM GOTHORVMQVE
POTENTISSIMO AVGVSTISSIMOQVE

DVCI
SLESVICI, HOLSATIAE, STORMARIAE
ET DITMARSIAE SERENISSIMO

COMITI
IN OLDENBVRG ET DELMENHORST
LONGE ILLVSTRISSIMO,
RELIQVA

PATRI PATRIAE
CLEMENTISSIMO

Digitized by Google

Digitized by Google

REX
CLEMENTISSIME,
AVGVSTISSIME

NON temere temeritatis arguērer, ſi NOMEN TVVM auguſtiſſimum huic opuſculo praefigerem, niſi rationes oppido multae eaeque

praegnantes id ſuaderent. Officia ſubditi erga REGEM CLEMENTISSIMVM generalia, ſed & ſpecialiſſima me quanquam grata compede vinctum quid dicam? obſtrictiſſimum tenent.

TVVS enim REGIS AVGVSTISSIMI quid quod Regnorum geminorum quondam Parens REX CHRISTIANVS SEXTVS glorioſiſſimae memoriae me non iis ſolummodo Clementiae ſupereminentis beneficiis, quibus omnes IPSI, dum in viuis erat, ſubditos affecit, egregium in modum mactauit, ſed & ſingulari gratia REGIA impulſus me beneficio inſtruxit inſigni, quo munitus curriculo ſtudiorum determinato in

Digitized by Google

to in Illuſtri Academia Haunienſi abſoluto Muſas, quibus Germania ſuperbit, ſalutarem ſed & iis operam darem. Partium mearum & obligationis fortiſſimae non adeo negligens fui, vt non de remediis ſaepenumero cogitarem, quorum beneficio ILLI, dum nobis imperauit, animum ſubmiſſe gratum eo pacto publice poſſem teſtari, vt pateſceret, me pro virili Clementia ea REGIA ita quidem vſum fuiſſe, vt DEO, REGI & PATRIAE aliqua ex parte poſſem ſeruire. Dum haec meditor, rebus humanis ſubripitur REX glorioſiſſimae memoriae, cuius NOMEN AVGVSTISSIMVM laudesque Coeleſtiſſimae ſemper manebunt. Sed vero re-

Digitized by Google

bus humanis adhuc intereſt. Viuit, floret, imperat in FILIO REGE, PATRE Patriae OPTIMO.

TV enim REX GLORIOSISSIME, MAGNO PATRE haud minor virtutes PATERNAS ſed & ATAVAS, PIETATEM IVSTITIAM pariter ac SAPIENTIAM exactiſſime refers, easque exprimis. Non eſt quod literae ſacrae & ciuiles NVTRITORE INDVLGENTISSIMO viduatae doleant. Non ciues ſolum & TIBI, REX POTENTISSIME, ſubditi ſed & Exteri magnificius loquuntur de feliciſſimo & florentiſſimo ſucceſſu rei tum ſacrae tum literariae, quo, TE IMPERANTE, fruuntur & quid adhuc ſibi polliceri poſ-

ſint,

ſint Gemella Regna de TVO REGIS AVGVSTISSIMI ſapientiſſimo Regimine, quod Deus Optimus, Maximus fauſtum, feliciſſimum & perennaturum eſſe iubeat. His rationibus ſtipatus hoc qualecunque opuſculum NOMINI TVO AVGVSTISSIMO, ea qua par eſt, ſubmiſſione, dedicare ſuſtinui. Vt autem illud quam clementiſſime accipere & me tantillum homuncionem TVA CLEMENTIA REGIA proſequi velis gratioſiſſime, ſupplex rogo. Caeterum Numen Supremum TE, REX CLEMENTISSIME totamque TVAM DOMVM REGIAM diu conſeruet, amplificet, adornet & nullis non gratiae ſuae indiciis mactet.

VIVAT

Digitized by Google

DEDICATIO.

VIVAT REX, FRIDERICVS QVINTVS. FLOREAT LOVISA REGINA AVGVSTISSIMA.

VIGEAT CHRISTIANVS PRINCEPS REGIVS HEREDITARIVS.

FLOREANT PRINCIPES REGIAE!

Sic vouet & optat

TVVS

REX POTENTISSIME
AVGVSTISSIME

Cliens & Subditus humillimus
Iohannes Erneſtus Gunnerus,
Chriſtiania - Norwegus.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

VT iudicium Lectorum beneuolorum de hacce Diſſertatione eo rectius ſit & circumſpectius, quaedam loco praefaminis in anteceſſum monenda eſſe duxi. Omnia, quoad eius fieri poteſt, ſuccincte dicam. Certum mihi erat de modis iuris in re & dominii adquirendi diſſerere. Neminem harum rerum gnarum fugere poteſt, tractationes huius thematis proſtare admodum multas, ſed ecquis neſcit, quanta confuſio illud intricatiſſimum reddat & quot quantisque prematur difficultatibus, vnde hi aeſtus, illae ſolicitudines Doctorum Iuris Nat. quibus ſolenne eſt, omnia, quantum fieri poteſt, ſolide tractare. Pro parte virili illam confuſionem, has difficultates tollere & omnia ad principia certa & indubitata reuocare volui. Sed inter elaborandum ad tantam molem excreuit diſſertatio, vt

pri-

Digitized by Google

primam eius particulam, quae de iure in re, diuerſis eius ſpeciebus & praeſertim dominio agit, ſeorſim edere neceſſe eſſet. Reliquas partes, quae, Deo volente, in poſterum ſequentur, ita tractaturus ſum, vt agam de modis adquirendi (1) originariis, quorum nullum praeter occupationem admitto (2) deriuatiuis & quidem (α) viuo adhuc priore Domino, quo praeter pactum bellum (occupationem bellicam) refero (β) mortuo priore Domino, vbi de pactis ſucceſſoriis ſ. hereditariis, ſucceſſione ab inteſtato & teſtamentis acturus ſum, quid de his ſtatuam, ſuo tempore apparebit. Concedo lubentiſſime, diſſertationem I. N. Tractatione Metaphyſica maximam partem amputata, ſartam inteéctamque manere poſſe ſed quum rationes ſpeciales eaeque vrgentes, cur haec duo diuerſa themata ſimul pertractauerim, praeſto fuerint, puto, ſtomachum nemini moueri, quod illa cancellis vnius diſſertationis incluſerim. De Libertate autem acturo id negotii mihi potiſſimum datum eſſe exſiſtimaui, eandem ita ſimul pertractare, vt perſpicue conſtaret, Recentiorum quorundam Philoſophorum ſyſtema cum placitis ſcholaſticorum & Theologorum quod ad rem amiciſſime conſpirare. An id effecero iudicio Lectoris beneuoli maturo relinquendum eſſe duco. Quoties Metaphyſicam & Logicam ſimpliciter citauero, Metaphyſicam Cel. Baumgart. & Inſt. Philoſ. rat. Clar. Coruini intelligo. Vt me autem meosque labores Tibi commendatiſſimos habeas, obnixe rogo.

DIS-

DISSERTATIONIS I. N.

DE

MODIS ADQVIRENDI IVS IN RE

ET PRAESERTIM DOMINIVM

PARTICVLAE PRIMAE

DE IVRE IN RE NOSTRA ET ALIENA

TRACTATIO

PROLVSORIA METAPHYSICA

DE LIBERIS ACTIONIBVS.

---

§. 1.

A vel exſiſtere poteſt, licet non ſit determinatio alterius B, vel non. Si prius, *ſubſtantia*, ſin poſterius, *accidens* audit.

SCHOL. Definitionem ſubſtantiae a Cel. Hanſchio in Princip. Philoſ. Leibn. def. 24. ſuppeditatam, quam ſuam fecit Generoſ. Wolf. in Metaph. Germ. §. 114. Deo repugnare, hinc iuſto ſtrictiorem eſſe Logicus dixerit. Eidem vitio def. Wolſianam in Ont. Lat. P. II. S. II. C. II. §. 168. dedit D. Langius. Sed cum cel. Wolfius, *Deum* non proprie, ſed *per eminentiam* eſſe *ſubſtantiam* perhibeat: definitiones allatas de ſubſtantia finita intelligendas eſſe, eoque recte ſe habere patet.

§ 2.

Accidens in ſubſtantia actuatur aut per vim ipſius, aut per vim alienam. Si prius, ſubſtantia *agit*, ſin poſterius, *patitur*. Abſtractum τȣ agere eſt *actio*.

SCHOL. Def. actionis in Metaph. Germ. Generoſiſſ. Wolfii C. II. §. 2. iuſto anguſtior eſt. Si vero tantum de entibus

 fini-

Digitized by Google

finitis adhibeatur, (quod fieri debere ex eo patet, quod *Deus* cel. Wolfio *per eminentiam agere* dicatur) huius vitii non argui poteſt.

§. 3.

Ratio eſt, quod efficit, vt aliquid ſit ita nec aliter. Efficit autem, vt aliquid ſit ita nec aliter vel in ſe vel quod ad cognitionem noſtram. Si prius, *ratio Metaphyſica* (Synthetica) ſin poſterius, *Logica* (Analytica) dici poteſt

§. 4.

Ratio metaphyſice ſumta efficit in ſe, vt aliquid ſit ita nec aliter (§.3.) & id quidem vel quod ad poſſibilitatem vel qua actualitatem. Si illud, *ratio eſſendi*, ſin hoc, *ratio fiendi* dicitur.

§. 5.

Ratio fiendi efficit in ſe, vt aliquid ſit ita nec aliter qua actualitatem (§. 4) id autem efficit vel ſolummodo per remotionem impedimenti, vel non. Si illud, *ratio remouens* (ratio ſine qua non) ſin hoc, *ratio efficiens* appellatur.

§. 6.

Principium nominatur, quod in ſe continet rationem alterius. Determina rationem per §. 3. 4. 5. & habebis diuerſas principii ſpecies.

§. 7.

Actio aut ab efficienti principio ſufficienti, quod agenti internum eſt, dependet, aut non. Si prius, eſt *ſpontanea*, ſin poſterius, *coacta*. *Ens*, quod actiones ſpontaneas edere poteſt, dicitur *ſpontaneum*.

COR. I. Ens, quod ſine concurſu aliorum Principiorum extrinſecorum efficientium agere poteſt, ſi agat, per Principium efficiens ſufficiens ipſi internum agat, neceſſe eſt, hinc Ens ſpontaneum eſt.

COR. II. Ens, quod agit per principium aliud extrinſecum ſolummodo remouens, ſine concurſu principii efficientis extrinſeci agit (§. 5. 6.) hinc Ens ſpontaneum eſt.

COR. III. Quamuis Ens ſine concurſu aliorum principiorum extrinſecorum efficientium ſe ad primam mutationem actuandam

dam determinare nequeat, nihilo tamen minus, facta ab alio principio extrinſeco efficienti prima determinatione, poſtea per principium ſufficiens intrinſecum efficiens agere poteſt. Ergo eiusmodi Ens ſpontaneum eſt.

SCHOL. Si placet, hoc applices, velim, ad Entia mere paſſiua & actiuo-paſſiua Ill. Daries, Praeceptoris aeternum deuenerandi, in Elem. Metaph. & quidem Ont. §. 20. & Monad. §. 21. & 24. pariter ac ad machinas ſ. entia compoſita ſtricte ſic dicta, quorum mutationum ratio efficiens ſufficiens in vi motrice per ſtructuram determinata continetur. Me autem non monente, vides, primam mutationem Entium mere paſſiuorum, actiuo-paſſiuorum & machinarum a principio efficienti extrinſeco pendentem eſſe coactam, ſubſequentes autem a vi eorum per principium extrinſecum ſufficiente facta dependentes eſſe actiones ſpontaneas.

§. 8.

Anima mea eſt Ens ſpontaneum. Etenim cogitationum ſaltim aliquae rationem ſufficientem efficientem in vi animae habent (per Pſychol. Emp.) Illud, quod in ſe continet rationem ſufficientem efficientem alterius dicitur principium eius ſufficiens efficiens (§. 5, 6.) Ergo vis animae eſt principium cogitationum ſaltim aliquarum ſufficiens efficiens. Cum vero vis animae interna ſit, ſequitur, animam per principium efficiens ſufficiens ipſi internum has actuare. Quicquid per principium internum efficiens ſufficiens agere poteſt, eſt Ens ſpontaneum (§. 7.) Ergo anima mea eſt Ens ſpontaneum.

Aliter.

Anima mea per repraeſentationes boni & mali ad ipſam relati ſe ipſam ad appetendum & auerſandum determinat (per Pſychol. Emp.) Ergo ſine concurſu aliorum principiorum extrinſecorum efficientium appetit & auerſatur, Ergo Ens ſpontaneum eſt. (§. 7. COR. I.)

COR.

Digitized by Google

COR. Animae meae igitur competit *Libertas*, quam Scholaſtici dicunt, *a Coactione.* vid. Ill. Dari. Inſt. I. V. §. 52. Io. Paul. Hebenſtreit. Philoſ. Prim. p. 704. ſeqq. Inſtit. Met. ſacr. I. W. Rumpæi p. 146.

§. 9.

Determinationes alicuius Entis illi vel ita competunt, vt iis oppoſitae in eodem eſſe nequeant, vel ita vt determinationes iis oppoſitae Enti ineſſe poſſint. Si prius obtinet, *Ens neceſſarium*, ſin poſterius, *Ens contingens* vocatur.

Wolffii definitio ontol. lat. §. 279. 294. ſyſtematice explicata eadem eſt, quae in §o. eſt allata: alias enim inſtantias admittit, v. g. ab ente infinito, cuius oppoſitum, ens ſcil. finitum, eſt poſſibile, eoque hinc concludi poſſet, quod Ens infinitum ſit ens contingens.

§. 10.

Oppoſitum determinationum entis neceſſarii in eo impoſſibile eſt. (§. 9.) impoſſibile vero vel abſolute, vel hypothetice tale eſt. (Met. §. 15, 17.) Hinc patet, quid *ens abſolute* & *hypothetice neceſſarium* ſit.

§. 11.

Oppoſitum determinationum entis contingentis in eo poſſibile eſt (§. 9.) poſſibile vero eſt vel abſolute, vel hypothetice tale (Met. §. 15, 16.) Hinc liquet, quid ſit *abſolute* & *hypothetice contingens.*

§. 12.

Appetitiones & auerſationes meae ſunt non tantum abſolute ſed & hypothetice contingentes. Oppoſitum enim determinationum earum eſt in iis abſolute poſſibile (per Pſych. Emp.) Ens, cuius determinationum oppoſitum in eo poſſibile eſt abſolute, dicitur abſolute contingens (§. 11.) Ergo appetitiones & auerſationes meae ſunt abſolute (in ſe) contingentes. Q. E. Imum.

Nexus

Digitized by Google

Nexus cum aliis extra illas concipi poſſunt, in quibus oppoſitae earum determinationes in iis poſſibiles ſunt (per Pſych. Emp.) Quicquid etiam in nexu cum aliis, quae extra illud ponuntur, tamen eſt poſſibile, dicitur hypothetice poſſibile (Met. §. 16.) Ergo oppoſitae determinationes appetitionum & auerſationum mearum hypothetice poſſibiles ſunt. Ens, cuius oppoſitae determinationes in eo hypothetice poſſibiles ſunt, vocatur hypothetice contingens (§. 11.) Ergo appetitiones & auerſationes meae ſunt etiam hypothetice contingentes. Q. E. IIdum.

COR. Ergo liberae ſunt a neceſſitate abſoluta, (§. 10.) Ergo animae meae competit *Libertas a neceſſitate abſoluta intrinſeca*, Metaphyſica, Geometrica, Logica, Stratonica, &c. vid. Ill. Bilfing. Diluc. de Deo &c. p. 47, 48. Summe Ven. Schubert. Met. §. 730. ſeqq. D. Langius in Disquiſit. modeſt. Protheor. Poſtul. VI. p. 3. & Ill. Bilfing. l. c. p. 64, 65.

§. 13.

Impoſſibilitas alias recipiendi affectiones, quamquae enti actu competunt, eſt vel abſoluta, vel tantum hypothetica (Met. §. 15, 17.) ſi prius, inde oritur *Unicitas determinabilitatis*, ſin poſterius, exinde proficiſcitur *Unicitas determinationis*.

COR. Unicitas determinabilitatis de anima praedicari nequit. (§. 12. COR.)

§. 14.

Quicquid per vim alicuius ſubſtantiae actuari poteſt, eſt ipſi *phyſice poſſibile*. Quicquid non poteſt, eſt ipſi *phyſice impoſſibile*. Actiones mihi phyſice poſſibiles *in poteſtate mea poſitae ſunt*, mihi autem phyſice impoſſibiles ſunt *ſupra poteſtatem meam poſitae*.

COR. Actiones igitur ſpontaneae, appetiones & auerſationes ſunt in poteſtate mea poſitae (§. 7. & Pſych. Emp.)

§. 15.

Tam ea, *quae in poteſtate mea poſita ſunt*, quam quae ſunt *ſupra poteſtatem meam poſita* ſunt talia vel in quocunqueſtatu natura mea conſideretur, vel non. Si prius, *ſimpliciter*, ſin poſterius, *ſecundum quid* talia dicuntur.

§. 16.

Actiones ſpontaneae vel adeo comparatae ſunt, vt etiam earum oppoſitum in poteſtate alicuius entis poſitum ſit aut non. Si illud, illi enti ſunt *actiones liberae ratione executionis.*

COR. I. Cum a genere ad ſpeciem determinate non concludere liceat (Log. §. 116.) ab actionibus ſpontaneis ad actiones liberas ratione exſecutionis non V. C.

COR. II. Actiones liberae ratione executionis tam in ſe quam reſpectu ſubiecti agentis contigentes ſunt. (§. 9.) Hinc illis competit contingentia (indifferentia) tam obiectiua quam formalis ſeu ſubiectiua, vti ſcholaſtici loqui amant; i. e. poſitis omnibus ad agendum praerequiſitis non tantum in ſe ſed & agenti phyſice poſſibile eſt, agere & non agere, ſic & aliter agere. conf. Hebenſtr. Phil. Prim. p. 704. 705. Velthem. Inſt. Met. p. 940. ſeqq.

§. 17.

Quodſi in conceptu neceſſarii & contingentis (§. 9.) notionem poſſibilis & impoſſibilis magis determinamus, conceptus neceſſitatis & contingentiae phyſicae eruitur. Etenim ſi oppoſitum in aliquo ſit illi phyſice impoſſibile, reſpectu eius dicitur ens *phyſice neceſſarium*, ſi vero oppoſitum illi phyſice poſſibile ſit, intuitu ipſius *phyſice contingens* nominatur.

COR. I. Actiones igitur liberae ratione exſecutionis phyſice contingentes ſunt (§. 16.) Ergo non ſunt phyſice neceſſariae. Proinde illis competit *libertas*, quam Scholaſtici dicunt ſimplici-

Digitized by Google

pliciter, *a neceſſitate.* conf. Hebenſtr. Phil Prim. p. 704. 707. p. 880. Libertas igitur quam tuemur, non eſt ſtoica. conf. Brucker. in hiſt. Crit. philoſ. T. 1. p. 931. ſeq. & p. 961.

COR. II. Cum omne phyſice neceſſarium huius mundi ſit tantum hypothetice neceſſarium (per metaph.) actiones liberae ratione executionis a quadam neceſſitate hypothetica liberae ſunt (Cor. 1.)

COR. III. Si neceſſitas conſequentis (conſecutionis) ſit neceſſitas ex praedeterminante cauſſa, quae nullam potentiam aliter agendi ſubiecto agenti relinquit, patet, actiones liberas ratione exſecutionis etiam a neceſſitate conſequentis liberas eſſe.

SCHOL. Quando recentioribus Philoſophis obiicitur, neceſſitatem, quam tuentur, libertati e diametro eſſe oppoſitam, quidam ſi Diis placet, ſe hypotheticam modo neceſſitetem adſtruere & ea in re ipſorum Theologorum communi Doctrina fulciri identidem ingeminant. Audias ſi placet, ipſum eorum Anteſignanum immortalem Leibnitium Theod. §. 37. C' est vne neceſſité abſolue, qu'on demande, pour pouvoir dire, qu' vne action eſt neceſſaire, qu' elle n' eſt point contingente qu' elle n' eſt point l' effet d' un choix libre. vid cauſſ. Dei §. 43. Haudaliter ac ſi nulla neceſſitas hypothetica libertati eſſet infeſta. vid. Muſaei colleg .controu. p. 324 325. & praeprimis ſumme venerabilis D. I. P. Reuſchii, Praeceptoris ad cineres vsqui colendi, Meletema de ſcylla quandam Philoſ. recentioris p. 5. vbi ſyſtematis recentiorum probe gnarus hoc idem monitum iterum iterumque ſed pro more ſuo modeſte inculcat.

§. 18.

Appetens & aduerſans productionem alicuius perceptionis intendunt (Met. §. 341. 663.) Perceptiones rationem intentionis eiusmodi in ſe continentes breuitatis cauſa *elateres animi* nominare liceat.

§. 19.

Elateres animi ſunt vel notiones diſtinctae (Log. §. 43.) vel non. Si illud, oritur conceptus *motiuorum,*

Digitized by Google

ſin hoc, dici poſſunt *ſtimuli.* Hi ſunt vel perceptiones obſcurae (Log. §. 13.) vel non. Illi *impulſus* (*Triebe*) hi autem *Incitamenta* (*Reizungen*) dici poſſunt.

SCHOL. Qua ſtrictum motiuorum ſignificatum conf. inſignis noſter Philoſophus Reuſch. in Syſtem. Metaph. §. 486. Canzii Philoſ. Fund. §. 2432. 2434. cel. Baumg. Met. §. 669. 677. 690. & qui non vltimo loco ponendus erat Ill. Daries Elem. Met. §. 99. coll. §. 89. Pſ. Emp.

§. 20.

Lubitus eſt cognitio, qua ſubſtantia pollet, ex qua ſecundum LL. appetitionis & auerſationis cognoſci poteſt, cur ſic non aliter ſe determinet circa actionem liberam ratione exſecutionis.

COR. Cum ex elateribus animi & ſpeciatim vel ex motiuis vel ſtimulis vel vtrisque cognoſci poſſit, cur ſubſtantia ſic non aliter circa actionem liberam ratione executionis ſeſe determinet (§. 18. 19.) patet, eosdem elateres animi lubitum alicuius ſubſtantiae conſtituere.

SCHOL. Si haec definitio tibi non ſit ad palatum, caue, ne impingas in principium rat. ſuff. quod ita enuncio: Omne poſſibile habet rationem ſufficientem: Demonſtrationem habeas in Met. Cel. Baumg. §. 20. 22.

§. 21.

Facultas appetendi & auerſandi pro lubitu proprio audit *arbitrium.* Hinc patet. quid ſibi velint *actiones arbitrariae.*

§. 22.

Nemo actiones arbitrarias ſine elateribus animi edere poteſt. Etenim actiones arbitrariae per arbitrium determinandae ſunt (§. 21.) cum autem arbitrium ſit facultas appetendi & auerſandi pro lubitu (§. cit.) hinc qui actiones arbi-

Digitized by Google

arbitrarias patrat, pro lubitu appetit & auerſatur. Quicunque pro lubitu appetit & aduerſatur ita ſeſe circa actionem liberam ratione executionis determinat, vti id ex lubitu eius cognoſci poteſt (Met. §. 712.) Ergo qui actiones arbitrarias edit, ita etiam ſeſe circa actionem liberam ratione exſecutionis determinat, vti ex lubitu eius cognoſci poteſt. Cum vero elateres animi lubitum conſtituant (§. 20. Cor.) actiones arbitrariae adeo comparatae eſſe debent, vti id ex elateribus animi cognoſci poteſt. Actiones itaque arbitrariae ſine elateribus animi patrari nequeunt.

COR. Poſita ratione ſufficiente, ponitur ſufficienter rationatum (Met. §. 30.) hinc poſitis elateribus animi ſufficientibus, certiſſime ponuntur actiones arbitrariae.

SCHOL. Haec autem neceſſitas libertati minime eſt inimica, poſitis enim elateribus ſufficientibus animi actiones arbitrariae adhuc liberae manent ratione executionis (§. 16.) conf. Bilf. l. c. §. 71. 76. 89. 164. 436. Eiusd. com. hyp. de harm. animi & corp. hum. &c. §. 185. Eiusd. com. philoſ. de orig. & permiſſ. mali §. 333. Sam. Clarck dans recueil de diverſes pieces ſur la Philoſophie par Mrs. Leibnitz, Clarcke &c. T. I. p. 382. 391. Leibnitium tamen de termino neceſſitatis conquerentem audias in Theod. §. 128. Bilfing. itidem in Dilucid. &c. &c. §. 89. 92. & de orig. & permiſſ. mali §. 150. 152. 170. verba Croſae ingenioſiſſima lectu ſunt digniſſima. Logique de Crouſaz. P. I. S. II. ch. VI. §. 9. Tom. II. p. 724.

§. 23.

Arbitrium eſt facultas appetendi & auerſandi pro lubitu (§. 21.) appetitiones & auerſationes ſunt vel ſenſitiuae vel rationales (Met. §. 676. 689.) hinc patet, quid ſit *arbitrium ſenſitiuum* & *rationale.*

SCHOL. Si definitio appetitionum rationalium a cel. Baumg. Met. §. 689. ſuppeditata reſoluatur, patebit, conceptum intellectus eam ingredi, quem Met. §. 624. per facultatem ſibi ali-

quid diſtincte repraeſentandi definit. At vero cum brutis repraeſentationes diſtinctae minime denegari poſſint (per exper.) cum bona cel. Auctoris pace intellectum per facultatem ſibi aliquid diſtincte ex notionibus repraeſentandi definire malo vid. Ill. Dari. Pſych. Emp. §. 53. conf. etiam Diſſ. Ribouii Hiſtorico - Philoſ. de anima brutor. Petri ab Hartenfels Elephantographia curioſa. *Einige Fragen über das Wunderbahre in den Seelen der Thiere* &c. Leipz. 1745. De l' ame des bêtes par Mr. D** it. amuſement Philoſophique ſur le langage des bêtes, cuius libri auctor eſt nobilis Gallus Mr. de Bulonde.

§. 24.

Arbitrium rationale eſt *Libertas* ſimpliciter ſic dicta ſ. liberum arbitrium.

SCHOL. I. Liberum arbitrium ſumitur etiam pro abſtracto actionum liberarum. conf. Muſ. diſp. III. de conuerſ. edit Hal. ab initio. it. Hebenſtr. Phil. Prim. p. 706.

SCHOL. II. Cum appetitus & auerſationes rationales volitiones & nolitiones ſint (Met. §. 690.) Libertatem etiam definire potes per facultatem volendi nolendique pro lubitu.

§. 25.

Actiones, ad quas per libertatem ſe determinare eſt in poteſtate alicuius ſubſtantiae poſitum, ipſi *Liberae* ſunt ſimpliciter.

COR. I. Siquidem a non eſſe ad non poſſe non V. C. (Met. §. 60.) actio libera eſſe poteſt, quamuis aliquis ſe ad eam per libertatem non actu determinauerit, ſufficit enim, ſi ſeſe ad eam per libertatem determinare potuiſſet. Pone igitur, aliquem ſe ipſum per arbitrium ſenſitiuum determinaſſe, vbi ſe per libertatem determirare in poteſtate eius poſitum fuit, eiusmodi actio erit Libera.

COR. II. Si morale cum ſummo Ven. praeceptore S. I. Baumg. Theol. mor. *Vorläufige Einleitung* §. 1. per illud definias

nias, in quo libera electio locum habet, ſeu quod per electionem in cognitione vniuerſali fundatam fieri poteſt; omnes actiones liberae ſunt morales & v: v:

COR. III. Iam porro perſpicis (1.) aliud eſſe ſponte agere, & aliud eſſe, libere agere (§. 7.) (2.) aliud eſſe contingenter agere, & aliud eſſe, libere agere (§. 12.) (3.) neminem niſi ſpiritum libere agere poſſe. (§. 24.)

SCHOL. Si quod ad conceptum actionum liberarum conſenſum aliorum vrges, praeter cel. Baumgart. cui noſtram definitionem debemus, vid. Ill. Chriſt. Lud. Scheidium in Eth. Philoſ. §. 170. Ill. Darj. Inſt. I. V. P. Gen. C. I. de act. §. 52. n. 3. & cel. Prof. S. G. Succouii Medit. quasdam de Philoſoph. morali. §. 5.

§. 26.

Si actiones animae non niſi per plures alios actus intermedios a *Libertate* pendent, *ipſi indirecte* (mediate) *ſubſunt. Directe* autem (immediate), quae a libertate ſine pluribus actibus intermediis aliis obſeruabilibus dependent.

COR. Quamuis actiones libertati vel maxime per indirectum ſubſint, tamen ſunt liberae. (§. 25.) conf. inſignis Hamburgenſium Theologi Wagneri *Verſuch einer gründlichen Vnterſuchung, welcher der wahre Begrif von der Freyheit des Willens.*

SCHOL. Si vltimo loco deſideras ſolutionem dubiorum ſpecioſorum Collini contra libertatem dans la recherche ſur la liberté, adeas velim acutiſſimum Canzium in diſc. mor. omn. p. 6 - 22.

DIS-

DISSERTATIONIS IVRIS NAT.

DE

MODIS IVRIS IN RE ET PRAESERTIM DOMINII ADQVIRENDI

PARTICVLAE PRIMAE

DE IVRE IN RE NOSTRA ET ALIENA

CAP. I.

DE IVRE IN RE GENERATIM CONSIDERATO.

§. 1.

Lex *in genere* denotat normam, ſecundum quam actiones arbitrariae determinentur, oportet. Actiones arbitrariae ſunt vel liberae, vel non (Tr. Met. §. 21,25.) ſi prius, inde proficiſcitur conceptus *Legis ſtricte ſic dictae* ſ. moralis, ſin poſterius, conceptum *Legum non-moralium* eruimus.

§. 2.

Elateres animi cum actionibus connectere is dicitur, qui nexum inter elateres animi & actiones actuat. *Obligatio* in genere eſt connexio elaterum animi cum actionibus. Elateres animi ſunt vel motiua, vel ſtimuli, (Tr. Met. §. 19.) ſi illud, inde reſultat conceptus *obligationis moralis*, ſin hoc, oritur obligatio *non moralis*, quam phyſicam nominare volupe eſt.

SCHOL. I. Vox (connectere) adeo quidem vaga eſt, vt, niſi eo pacto, quo id a nobis factum eſt, determinetur, quilibet Orator ſacer nos fortiſſime obligare poſſit. Hic igitur non conne-

connectit, ſed tantum proponit motiua, quae iam cum noſtris actionibus connexa ſunt.

SCHOL. II. Si quod ad ſignificatum latiorem obligationis conſenſum aliorum vrgeas, vid. Ill. Dari. Inſt. I. V. §. 73. qui obligationem generaliter definit per nexum rationum cum actionibus (a ſpontaneitate dependentibus) quam reſtrictionem ipſe in Praelectionibus addere ſolet. it. cel. Carpov. in diſſ. de neceſſitate Legum externarum &c. §. 12. I. N. Kirchoff in diſſ. de Imputatione &c. ſub praeſid. Summe Ven. S. I. Baumgart. habita §. 1. Schol. 1. 2.

SCHOL. III. Ad dubia Puffend. contra obligationem neruoſe diſputat Canz. in Diſc. mor. §. 39, & 40. & ab obiectionibus Treueri in notis ad Puff. de O. H. & C. L. 1. C. 11. §. 5. eam maſcule vindicauit in Vſu Phil. L. & W. in Th. T. I. C. XI. §. 16-19.

§. 3.

Lex in genere eſt propoſitio obligatoria. Etenim Lex in genere eſt norma, ſecundum quam actiones arbitrariae determinari debent. (§. 1.) Actiones autem arbitrariae ſine elateribus animi patrari nequeunt (Tr. Met. §. 22.) E. Lex in genere norma eſt, cui actiones arbitrariae attemperandae ſunt, dum elateres animi cum iisdem connectuntur. Connexio elaterum animi cum actionibus audit obligatio (§. 2.) E. Lex in genere eſt norma Obligatoria. Cum vero norma ſit propoſitio (Met. §. 83.) patet, Legem in genere eſſe propoſitionem obligatoriam.

COR. I. Hinc conſtat, obligationem eſſe fundamentum Legis.

COR. II. Maiore igitur cum ratione Legem effectum (principiatum) obligationis, quam obligationem effectum Legis dixeris (COR. I.)

§. 4.

Ius in genere eſt facultas agendi, quae Lege (§. 1.)

com-

competit. Leges ſunt vel morales, vel non. (§. cit.) Hinc ius oritur morale & non-morale.

SCHOL. Per vſum loquendi bruta etiam iura ſua exercere dicuntur (*Es wolle ein Hund ſich ſein Recht nicht nehmen laſſen*) vt alias taceam rationes reſpectu infantium & furioſorum, propter quas ius adeo late ſumſerim. Praeterea e re noſtra eſſe videbatur, ius aeque late ac Legem & obligationem ſumere. conf. I. G. Krauslich in comm. philoſ. de modis, quibus ius rerum & in perſonas adquirere poſſumus §. 1. Schol. p. 3. caue tamen ab errore Spinozae in Tr. Theol. Polit. C. 16. p. 175. conf. & Thom. Hobbes Elem. Philoſ. de Ciue C. I. art. VII.

§. 5.

Ius oritur ex obligatione. Etenim Ius eſt facultas agendi lege competens (§. 4.) E. ius oritur ex Lege. Fundamentum Legis eſt obligatio (§. 3. COR. 1.) E. cum principium principii eſſentialiter ſubordinati ſit etiam principium principiati (Met. §. 317.) Ius ex obligatione proficiſcatur, neceſſe eſt.

COR. Hinc Ius & obligatio ſunt connexa, quorum vno poſito, ponitur alterum, ſublato vno, tollitur alterum (Met. §. 326, 328. coll. §. 29. 32.)

SCHOL. Ad dubia Gundlingii in I. N. & G. C. 1. §. 55, 56, 57. facilis eſt reſponſio.

§. 6.

Obligatio eſt connexio elaterum animi cum actionibus (§. 2.) ad actiones illas aut quis externe ab alio homine cogi poteſt, aut non. Si illud, *obligatio perfecta* (externa, efficax) ſin hoc, *imperfecta* (interna, inefficax) dicitur.

§. 7.

Lex eſt propoſitio obligatoria (§. 3.) obligatio eſt vel

Digitized by Google

vel perfecta, vel imperfecta (§. 6.) E. & *Lex* eſt vel *perfecta*, vel *imperfecta*.

§. 8.

Ius eſt facultas agendi Lege competens (§. 4.) Lex eſt vel perfecta, vel imperfecta (§. 7.) Hinc *Ius* in *perfectum* & *imperfectum* diſpeſcitur.

SCHOL. Ius imperfectum ſolam aptitudinem ſ. ἀξίας (dignitatem) nominat Grot, de I. B. & P. L. 1. C. 1. §. 7. coll. §. 4. ad fin. vid. et. Vitriarii Quaeſt. IV. ad C. 17. L. 11. de I. B. & P.

§. 9.

Τὸ *ſuum* eſt complexus bonorum ad ſtatum alicuius pertinentium. Hinc patet, quid ſit τὸ *noſtrum* & *alienum*.

COR. I. Cum ſtatus ſit vel internus, vel externus (Met. §. 206, 207.) bona tam ſtatus interni, quam externi alicuius ad τὸ ſuum eiusdem pertinent.

COR. II. Hinc iura alicuius tam perfecta, quam imperfecta ad τὸ ſuum eius pertinent. Illa, quatenus cum coactione, haec autem, quatenus ſine coactione exerceri poſſunt.

SCHOL. Si conſenſum aliorum, quod ad τὸ ſuum velis, conf. Grot. de I. B. & P. L. 11. C. 17. §. 2. Hert. in Iuriſpr. Vniu. S. III. de Social. §. 9. Excell. Car. Goth. Mullerum in Phil. Pract. §. 335. Summe Ven. I. E. Schubert. §. 180. Vniu. Phil. Pract. & alios.

§. 10.

Res vel adeo eſt comparata, vt actiones noſtrae arbitrariae circa eam Lege perfecta determinari poſſint, vel non. Si prius, *Res* ſenſu morali in genere dicitur. Haec vel ad τὸ noſtrum pertinere poteſt, vel non: Si prius, *Res* ſenſu morali *ſtricte* dicitur.

SCHOL. Res ſenſu morali ſtricte ſic dicta κατ' ἐξοχὴν res

 ſenſu

ſenſu morali vocatur, cuius definitio etiam colligi poteſt ex L. 52. ff. de adqu. rer. dom. conf. Hein. Elem. I. C. §. 312.

§. 11.

Ius, quod mihi reſpectu rei alicuius competit, perfectum vel ita comparatum eſt, vt quemcunque tertium ab eadem excludere poſſim, & dicitur *Ius in re*, vel non & vocatur *Ius ad rem.*

SCHOL. I. Hos terminos ſuppeditat Ius Canon. C. 8. de conceſſ. praeb. in 6. & C. 40. eod. in 6.

SCHOL. II. Non quidem inficias ibimus, Dd. in his notionibus determinandis multis a ſe inuicem diſtare paraſangis, nihilo tamen ſecius eos poſſumus laudare, qui nobiscum egregie conſpirant. vid. Iac. Frid. Ludouici Doctr. Pand. L. I. T. VIII. de diuiſ. rer. & qual. §. 13, 16. Gundlingii Diſcours *über die ſämtl. Pand.* §. §. cit. Ill. Bœhmer. in Introd. in I. Digeſt. L. I. Tit. VIII. §. 15, 16. Huber. in Prael. ad Inſt. L. II. Tit. I. §. 12. Hein. Inſt. L. II. Tit. I. §. 332. conf. & egreg. tr. H. Hahnii de iure rer. &c. Helmſt. 1643. 4. cum contrad. ſcriptis & apolog. diſſ. ibid. recuſ. 1664. 4. it. Vlr. Huberi Digreſſio de I. in re & ad rem, quae inſerta eſt ipſius Digreſſionibus Iuſtin. Ed. 3. Franequ. 1696. 4. p. 269.

SCHOL. III. Auctores praecipuos, qui de iure in re fuſius egerunt, inuenies in Biblioth. Iur. Sel. ab Ill. C. G. Budero, Praeceptore impenſius ſuſpiciendo, edita, Ed. 7. Ienae 1743. p. 159, 160.

SCHOL. IV. Si videtur, def. iuris in re ad alia negotia praeter 4. aut 5. iuris in re ſpecies receptas accommodari poſſe, eſt, quod cogites, multas determinationes Iur. Ciu. in I. N. ceſſari re, id quod efficit, vt Ius in re ſec. I. N., me iudice, latius pateat.

§. 12.

Res (§. 10.) vel ſenſibus externis percipi poſſunt, vel

vel non, hinc ſunt vel *corporales* (externae), vel *incorporales.*

COR. I. Ius igitur in re eſt vel ius in re corporali, vel incorporali.

COR. II. Cum iura ſint res incorporales (§. 4.) ſequitur, ius, quod in iure habemus, eſſe ius in re incorporali.

SCHOL. Gaius l. 1. ff. §. 1. de rer. diuiſ. res corporales dicit, quae tangi poſſunt, quae non, incorporales nominat, quae def. nil abſurdi continent, ſi dixeris, eum per tactum omnem ſenſum externum intellexiſſe. Et ſic flocci habetur obiectio, quae a ferro candido petitur. Notum eſt, quid ſtatuerint Stoici. conf. Lipſ. Phyſiol. Stoic. L. II. Diſſ. 4. Quinctil. L. V. Inſt. C. X. Sen. Ep. 106. G. Noodt probab. L. 2. C. 3. Cauz. diſc. mor. §. 1673.

§. 13.

De re quadam vel quis pro arbitrio proprio diſponere poteſt, vel non. Si prius, dicitur *propria*, quae diuerſo reſpectu dicitur vel *noſtra*, vel *aliena.* Si poſterius, vel alios ab eiusmodi diſpoſitione quis excludere poteſt, vel non. Si poſterius, vocatur *res nullius*, ſi prius, vel quemcunque ab eius vſu etiam excludere poteſt vel non, ſi illud, dicitur *res iacens*, ſin hoc, reſpectu eius vocatur *res communis.*

COR. E. Ius in re propria tam noſtra, quam aliena, in re communi & iacente cogitari poteſt.

SCHOL. I. Res iacentes illuſtrari poſſunt exemplo hereditatis iacentis, ferarum in noſtro terrae ſpatio vagantium, theſauri veteris ibidem defoſſi & quae ſunt reliqua. vid. diſſ. Ill. Dari. de adquiſ. hered. &c. §. 36. in qua diſſ. Ill. auctor tam a priori, quam a poſteriori ſolidiſſime euicit, hanc tertiam rerum ſpeciem adoptandam eſſe.

SCHOL. II. Res priuatiue & negatiue communes, de qui-

 bus

bus Canz. in diſc. mor. §. 1677. loquitur, res nullius ſunt. Nos rem poſitiue communem definiuimus.

CAPITIS II.

DE IVRE IN RE NOSTRA ET ALIENA

SECT. I.

DE IVRE IN RE NOSTRA.

§. 14.

Ius in re eſt ius quemcunque tertium ab aliqua re excludendi (§. 11.) res eſt vel noſtra, vel non (§. 13.) Ius in re noſtra eſt *dominium*.

COR. I. Cum res noſtra ſit, de qua pro arbitrio diſponere poſſumus (§. 13.) patet, Dominium etiam per ius de re quadam pro arbitrio ſuo diſponendi definiri poſſe.

COR. II. Quicquid ad τὸ ſuum alicuius pertinet, illud in dominio eius eſt & v. v. (§. 9.)

COR. III. Dominium eſt ſpecies iuris in re.

COR. IV. Cum res communes reſpectu alio propriae ſint & res alienae alio reſpectu noſtrae vocari poſſint, patet, tam res communes, quam alienas in dominio eſſe. Hinc omnis res vel eſt in dominio, vel iacens, vel nullius. (§. 13.)

SCHOL. I. ICti Romani nullam dominii definitionem ſuppeditarunt, quo factum eſt, vt eius interpretes in diuerſas abierint opiniones. Ratio diſſenſus potiſſimum ex eo eſt, num menti ICtor. Rom. conformiter dominium quoque rerum incorporalium concipi poſſit. Diſputarunt ea de re Huberus & Thomaſius, quorum ille non admittit dominium rerum niſi corporalium, hic vero etiam res incorporales dominii capaces eſſe aſſeruit vid. Huber. in Praelect. ad Inſt. de rer. diuiſ. Sed generoſiſſ.

Digitized by Google

neroſiſſ. Wolfium I. N. P. II. C. II. §. 113. ſecuti ſumus, qui §. 216. ſpeciale format Theorema, quod res etiam incorporales dominio ſubiici poſſint.

SCHOL. II. Hein. in I. N. & G. L. I. C. VIII. de off. erga alios hypoth. §. 231. dominium definit per ius ſ. facultatem alios vſu alicuius rei excludendi, ſed nemo non videt, hanc definitionem iuſto latiorem eſſe. conf. §. 11. Sunt, qui noſtrae definitioni obiiciunt, eam nec ſimpliciter conuerti, nec contra poni poſſe, adeoque definito eſſe & latiorem, & ſtrictiorem diuerſo ſc. reſpectu. Quod iuſto latior ſit, euincere geſtiunt exemplo tutorum, qui pro arbitrio de rebus pupilli diſponere poſſunt, ſed id eſt, quod negamus. Proinde nec hanc ob cauſſam opus eſt, vt cum aliis dominium definiamus per ius de re pro arbitrio diſponendi proprio nomine. Quod autem ſit iuſto ſtrictior, oſtendere conantur prouocando ad pupillos Dominos, prodigos ciuiliter tales & alios, quorum dominium reſtrictum eſt, ſed difficultates omnes felici tolluntur ſucceſſu, ſi cum Grot. L. I. C. III. §. 24. I. B. & P. inter ius in actu 1mo & 2do diſtinguamus. E. pupilli &c. habent ius de rebus ſuis diſponendi pro arbitrio ſc. in actu primo, licet exercitium iuris ſ. ius in actu 2do aliqua ratione ſit reſtrictum; vltima igitur verba reſtringentia in def. dominii, quam Hein. in Elem. I. C. L. II. Tit. I. §. 335. ſuppeditat, ſunt ſuperflua. conf. & Glaſey *im Rechte der Vernunft* p. 773. §. 73. Id eſt, quod volunt ICti quidam aſſerentes, dominium pupilli dormire i. e. illum dominium ſuum in actu 2do non exercere poſſe. conf. diſſ. Iurid. Io. Bernh. Friſen de iure dormiente Ienae 1714. vid. etiam exemplum actus 1mi a 2do ſeparati, quod Paulus Gal. 4, v. 1, 2. allegat.

§. 15.

Dominium in genere eſt ius in re noſtra (§. 14.) res eſt vel corporalis, vel incorporalis. (§. 12.) Ius in re noſtra corporali eſt *dominium ſtricte ſic dictum.* Ius in re noſtra

ſtra incorporali dici poſſet *dominium per analogiam* ſ. res eſt in poteſtate noſtra, vt alii loqui amant. conſ. tamen Tr. Met. §. 14.

COR. Cum res incorporales etiam ad τὸ ſuum alicuius pertineant, (§. 9.) caue, ne concludas: Quicquid ad τὸ ſuum alicuius pertinet, illud eſt in dominio eius ſtricte ſic dicto.

§. 16.

Dominus habet ius quemcunque 3tium ab ea re excludendi, quae in eius eſt dominio. Etenim dominus habet ius de illa re, quae in eius eſt dominio, pro arbitro ſuo diſponendi (§. 14. cor.) Quicunque de aliqua re pro arbitrio diſponere poteſt, etiam quemcunque tertium ab eadem excludere poteſt. Hinc patet aſſerti veritas.

SCHOL. I. Theorema hocce quidam ſequentem in modum reſtringunt: Dominus habet ius quemcunque tertium excludendi a re ſua, exceptis rebus innoxiae vtilitatis, ſed haec reſtrictio non eſt huius loci. Hic enim non loquimur de eo, quod Legis imperfectae ſed quod legis perfectae eſt, quamuis Ethicam obſeruaturi hanc reſtrictionem notare teneamur.

SCHOL. II. Theorema noſtrum ab Arriano confirmari exſiſtimo, dum Epict. II. 2. Dominum dicit τὸν τῶν ὑπ' ἄλλων σπȣδαζομένων ἢ ἐκκλινομένων ἔχοντα ἐξȣσίαν, qui, quae alii expetenda fugiendaque cenſent, in poteſtate habet.

§. 17.

Poſſeſſio in genere eſt detentio rei, haec fit vel cum animo eam habendi, vel non. Si prius, *Poſſeſſio* ſumitur ſenſu morali.

COR. I. Dominus habet ius rem ſuam poſſidendi. (§. 14. Cor.)

COR. II. A iure poſſidendi ad ipſam poſſeſſionem non V. C. (Met. §. 59.) Hinc a dominio ad poſſeſſionem ipſam non V. C.

COR.

Digitized by Google

COR. III. A facto ad Ius non V. C. E. nec a poſſeſſione ad dominium concludere fas eſt. Sed a dominio aut generatim a iure in re ad ius poſſidendi V. C. ſi nimirum ius in re ſine iure poſſidendi exerceri nequeat.

COR. IV. A ſublato facto ad tollendum ius non V. C. (Met. §. 60.) E. a ſublata poſſeſſione ad tollendum dominium non V. C.

SCHOL. I. ſunt equidem qui poſſeſſionem pro iure venditant, ſed conſultius duximus, poſſeſſionem vti factum a iure poſſidendi diſtinguere, quoniam & illi rem poſſidere dicuntur, qui iure poſſidendi ſunt deſtituti. Conſtantin. Hermonopul. Tit. 1. L. 2. Epit. iur. poſſeſſionem definit per detentionem, quae animo dominantis fit, ſed eſt def. iuſto anguſtior, non enim neceſſario opus eſt, vt ea in re, quam poſſidemus, dominium exercere velimus, cum & aliud ius in re hic exerceri poſſit.

SCHOL. II. Cornel. van Bynckershoek in Tr. de dominio maris mare in dominio eſſe non poſſe demonſtraturus reuera a ſublata poſſeſſione ad tollendum dominium concludit. Ita enim in forma ratiocinatur: Res, quam non poſſidemus, non eſt in dominio noſtro, atqui mare &c. &c. ita Ergo. maiorem exemplo ferarum in territorio noſtro vagantium confirmare allaborat, ferae enim, inquit, dum in noſtro territorio vagantur, in dominio exſiſtunt, quam primum autem e noſtro elabuntur territorio, noſtrum ceſſat dominium. Sed id eſt, quod negamus, feras in territorio noſtro vagantes nondum occupatas in dominio noſtro eſſe, cum reſpectu territorii noſtri res ſint iacentes (§. 14.) Magnus igitur Grotius de I. B. & P. C. VIII. §. 3. L. III expreſſe dicit, amiſſa poſſeſſione non ſtatim amitti dominium. Hinc etiam Dno. a Bynckersh. ſeſe maſcule oppoſuere Thomaſ. in not. ad Huber. Titius, Gundling. & alii.

SCHOL III. Ex hiſtoria id ipſum etiam exemplis notatu dignis illuſtrari poteſt, perhibetur enim, falconem aliquem e Gallia in Sueciam volaſſe, qui ſigno quodam notabatur, cui

 inſcri-

Digitized by Google

inſcriptum erat: je ſuis au Roi & le Duc de Cheureuſe me garde. Idem in Suecia feritur, nihilo tamen minus Rex Sueciae hoc factum excuſans, ſe lubentiſſime ipſum ſi adhuc in viuis eſſet, remiſſurum eſſe conteſtatus eſt. vid. Robinſon dans l'état de ſuédo it. Stiernhelmi Lex. vlphila-Gothicum. Thomaſ. in not. ad Strauchium narrat, quod hac de re in Sax. diſputatum ſit, vbi ſimia quaedam in ſyluam excurrens ab aliquo capiebatur, quae tamen Domino ſuo cognito tandem reſtituta eſt. Et ſane, ſi, amiſſa poſſeſſione, dominium ſimul amitteretur, ſaepenumero neceſſe eſſet, vt domus noſtras cochlearum ad inſtar circumferremus.

§. 18.

Poſſeſſio ſecundum ius naturae non eſt ſpecies iuris in re. Poſſeſſio enim eſt detentio alicuius rei cum animo eam habendi (§. 17.) Ergo in facto conſiſtit. Factum cum non ſit ius (§. 4.) patet, poſſeſſionem non eſſe ius, Ergo nec ius in re. Ergo nec ſpeciem iuris in re.

§. 19.

Rem in qua habemus ius ab alio poſſeſſam repetere, idem eſt ac eam *vindicare*. Res autem, quam vindicamus, eſt vel corporalis vel incorporalis (§. 12.) ſi illud, Rei vindicatio ſtricte dicitur.

COR. I. Dominus habet ius rem ſuam vindicandi (§. 14. cor.)

COR. II. Idem valere de quolibet, qui aliquo iure in re pollet, facile colligitur, ſi ius in re alia ratione exerceri nequeat.

SCHOL. Rei vindicatio ſic appellatur a lite vindiciarum, quae olim rei vindicationi ſemper praemittebatur, litigantes enim in rem praeſentem venire & ibi per vim imaginariam manus inter ſe conſerere ſolebant, auctore Gellio in Noct. att. L. 20. C. 10.

Cur

Digitized by Google

Cur autem rei vindicatio vis feſtucaria a Gellio dicatur, vid. Gundl. diſc. *über die* ff. L. VI. Tit. I. de rei vind.

§. 20.

Actus, quo efficitur vt res in dominio noſtro exſiſtens tranſeat in dominium alterius, nomine *Alienationis* venit.

COR. I. Domino licet rem ſuam alienare. (§. 14. cor.)

COR. II. Cum vero nemo praeter Dominum de re aliqua pro arbitrio diſponere poſſit (l. c.) patet, ſolum dominum iure rem aliquam alienandi gaudere. Quatenus igitur aliquis ius in re habens eandem alienare poteſt, eatenus Dominus eius merito cenſendus eſt.

SCHOL. I. Opponeret forſan aliquis, maritum eſſe Dnum dotis, nec tamen eandem alienare poſſe, ſed maritus eſt tantum Dominus dotis honorarius ſ. titulo talis. Id quod etiam obſ. contra Hein. in I. N. & G. L. I. C. VIII. de off. erga alios hyp. conf. Generoſiſſ. Wolf. in I. N. §. 109. ſeqq. & Ill. Daries Inſt. I. V. §. 584.

SCHOL. II. ſi pergis inſtare, pupillos res ſuas alienare non poſſe, probe memor eſto diſtinctionis inter ius in actu 1mo. & 2do.

§. 21.

Subſtantia rei dicitur eſſentia eius exſiſtens. Ius autem ſubſtantiam deſtruendi *Ius abutendi* audit. Hinc patet, quid ſit abuſus.

§. 22.

Dominus habet ius re ſua abutendi Etenim de re ſua pro arbitrio diſponere poteſt (§. 14. cor.) Ergo & de ſubſtantia eius pro arbitrio diſponere poteſt. Quicunque pro arbitrio de ſubſtantia alicuius rei diſponere poteſt, eam etiam deſtruere poteſt, Ergo Dominus iure ſubſtantiam rei

Digitized by Google

ſuae deſtruendi polleat, neceſſe eſt. Quicunque iure ſubſtantiam alicuius rei deſtruendi praeditus eſt, ius ea abutendi habeat, oportet (§. 21.) Ergo Dno competit ius re ſua abutendi.

COR. I. Ergo ſubſtantiam rei ſuae alienare poteſt (§. 20. cor. 1.)

COR. II. Res, qua quis abuti nequit, in Dominio eius eſſe non poteſt. Hinc diiudica controuerſiam de mari libero & clauſo celebratiſſimam, vid. Grotium de mari libero. it de I. B. & P. L. II. C. III. §. 19. Corn. van Bynckersh. de dom. maris. Seldenum de mari clauſo.

§. 23.

Conſectaria alicuius rei dicuntur omnia ea, quae per eandem poſibilia ſunt atque fieri poſſunt.

COR. I. Dominus habet ius de conſectariis rei ſuae pro arbitrio diſponendi & ea alienandi (§. 14. cor. §. 20. cor. 1.)

COR. II. Et cum quemcunque 3tium ab ea re, quae in eius eſt dominio excludere poſſit (§. 16.) hoc tam reſpectu ſubſtantiae quam conſectariorum eius fieri poſſe patet.

§. 24.

De rei alicuius conſectariis vel quis modo limitato vel etiam pro arbitrio diſponere poteſt. Prius *ius vtendi* poſterius ius *fruendi* vocatur.

COR. Dominus habet ius vtendi fruendi re ſua & vſum fructumque alienandi (§. 23. cor. 1.)

§. 25.

Cum Dominus pro arbitrio rem ſuam alienare poſſit (§. 20. cor. 1.) alienationem diuerſimode fieri poſſe patet, in alterum enim vel omne ius ſuum in re alienanda transfert, vel ius aliquod in eadem ſibi reſeruat, quo iura alterius in actu 2do reſtringere poteſt. Hinc oritur

 diui-

Digitized by Google

diuiſio dominii in *plenum* ſ. abſolutum, & *minus plenum* ſ. reſtrictum.

§. 26.

Dominus rem ſuam ita in alterum transferens, vt aliquod ius in re alienanda ſibi reſeruet, quo alterius iura in actu 2do reſtringentur, *Dominus directus*, alter autem *Dominus vtilis* vocatur. Hinc Dominium minus plenum eſt vel *directum* (*das Ober-Eigenthum*, *Grund-Eigenthum*) vel *vtile* (*das nuzbare Nieder-Eigenthum.*)

§. 27.

Dominus vtilis eſt verus Dominus. Ipſa enim res ſub determinationibus §. 26. adiectis alienata in τὸ ſuum Domini vtilis translata eſt. (§. 9.) Quicquid ad τὸ ſuum alicuius pertinet, illud in dominio eius eſt. (§. 14. Cor. II.) Dominus itaque vtilis rei alienatae verus Dominus dici meretur.

SCHOL. I. Peculiarem de Dno directo obſeruationem vid. in Gundlingianis.

SCHOL. II. Reſtrictionem dominii qua actum 2dum non obſtare, quo minus Dominus vtilis nomine Dni inſigniatur, colligere potes ex §. 14. SCHOL. II. §. 20. SCHOL. II. Huc ſpectant verba Senecae de Benef. VII. 2. Non eſt argumentum, ideo aliquid Tuum non eſſe, quia vendere non potes. . . . . tuum enim eſt etiam, quod ſub certa Lege tuum eſt. it. L. VIII. C. 12. Quaedam quorundam ſub certa conditione ſunt. Dion Pruſaeenſis Rhodiaca: Plurimi ſunt modi, quibus quid cuiusque eſſe dicitur, & quidem valde inter ſe differentes, interdum vt nec vendere, nec pro arbitrio vti liceat. Apud Strabonem exſtat: Dominus erat demto vendendi iure. conf. Grot. de I. B. & P. L. II. C. III. §. 19. n. 2. & eiusd. adnot. ad hunc locum.

SCHOL. III. Tantum abeſt, vt malignitate nouaturiendi abreptus, vt potius rationibus Ill. Dari. in Inſt. I. V. §. 457. conuictus

uictus, Ipſo praeeunte, demonſtrauerim, Dominum vtilem eſſe verum Dnum. Cui ſententiae album etiam calculum adiecit Io. Georg. Krauslich l. c. §. 7.

§. 28.

Cum Dnus directus rem ſuam in alterum transferens varia ratione ius aliquod in re alienanda ſibi reſeruare poſſit, ſpecies variae dominii vtilis cogitari poſſunt. Dominium enim vtile in alterum transfertur vel ſub lege fidelitatis, vel non. Si illud, *Feudum* (beneficium 1. f. 1. §. 2.) oritur, reſpectu cuius Dnus directus κατ' ἐξοχὴν *Dominus* (1. f. 10. Senior. 1. f. 17. ſ. Patronus, *Herr*, *Lehn-Herr*) Dominus autem vtilis *Vaſallus* (*Mann*, *Lehn-Mann*, *Belehnter Mann*) dicitur. conf. Ius Feud. al. art. 2. & Sax. art. 1-6.

COR. Cum vaſallus ſit Dominus vtilis, ſequitur, vaſallum verum Dnum eſſe (§. 27.) hinc feudum a nonnullis minus recte per vſumfr. definitur.

SCHOL. I. Quidam ad feudum requirunt rem immobilem, ſed aliud docet feudum Soldatae 2. f. 10. Feudum de camera & de cauena. 2. f. 58. 2. f. 10. Res autem incorporales etiam feudi capaces eſſe monſtrat Feudum inhabitationis 2. f. 105. conf. Excell. H. Brokes Doctr. I. F. p. 35, 36.

SCHOL. II. Non noſtrae quidem partes ſunt in originem feudorum anxie inquirere. Perſuaſi tamen ſumus, eandem nec e locis ſacri Codicis Gen. XIV, 4. & 11. Paralip. XXXVI, 13. nec e iure Romano exſculpi, nec Francis adſcribi debere, ſed potius in Dania quaerendam eſſe tempore Frothonis Pacifici, quem circa natiuitatem Saluatoris floruiſſe referunt Hiſtorici Saxo Gram. & Ill. Lud. Holbergius, aliique. Quam ſententiam argumentis non proletariis ſatis ſuperque probatum iuit conſult. & eruditiſſ. Conterraneus Lic. F. C. Seuel in Diſſ. de notitia I. F. Dano-Norwegici ſub praeſidio Viri illuſtris Buderi habita. Sed eiusmodi inquiſitio non eſt huius loci.

SCHOL.

Digitized by Google

SCHOL. III. Qui plura de feudo deſiderat, adeat, velim, Regn. Engelhardi Ius Feudorum Naturae.

§. 29.

Si Dnus directus in aliquem dominium vtile transfert & quidem non ſub Lege fidelitatis praeſtandae (§. 28.) id fieri poteſt vel ſub lege certi canonis in recognitionem Dominii directi praeſtandi, vel non. Si prius, *Emphyteuſis in genere* dici poſſet. Haec vel circa ſuperficiem in ſolo Domini Directi conſtitutam verſatur, vel non. Si illud, oritur *Ius ſuperficiei*, reſpectu cujus Dominus, directus ſecundum eminentiam *Dominus* (Dominus ſoli, *Grund-Herr*) Dominus autem vtilis *ſuperficiarius* audit.

COR. Superficiarius eſt verus Dnus (§. 27.)

SCHOL. conf. Lauterb. comp. iur. L. XLIII. Tit. 18. ſed & Ill. Bœhmer in I. Digeſt. eiusd. tit. §. 2.

§. 30.

Si Emphyteuſis non circa ſuperficiem in ſolo Dni directi conſtitutam verſatur (§. 29.) vel circa rem immobilem verſatur vel non. Si prius, *Emphyteuſis ſtrictiſſime* appellatur, cuius intuitu Dominus Directus *Dominus Emphyteuticarius* (*Erb-Zinß-Herr* it. Proprietarius Grot. I. B. & P. L. II. C. III. §. 19. n. 2.) Dominus autem vtilis *Emphyteuta* (Emphyteuticarius Grot. l. c. *Erb-Zinß-Mann*) vocatur.

COR. Emphyteuta eſt verus Dominus (§. 27.)

SCHOL. I. Romani partem Prouinciae ſubiugatae ſibi vindicabant, partem Prouincialibus relinquebant. In illam, ſi culta eſſet, Colonos deducebant, ſin inculta, ius culturae ſeruata penſione concedebant, vnde bona Emphyteutica ortum traxiſſe cenſentur. Ipſum autem negotium olim certam non habebat formam. Primus Zeno in formam id ipſum redegit, quo fiebat, vt priuati agros etiam remotiores in Emphyteuſin darent,

quod

Digitized by Google

quod poſt varia temporis interualla ad omnes agros etiam ſatis cultos tractum eſt. vid. Petr. Burmann. de vectigal. Rom. Stryck in V. M. L. VI. Tit. III. §. 23. Non tamen negandum eſt, hoc ius adhuc longe antiquius eſſe, cum iam in literis ſacris Gen. 47, 23, 24. exemplum eius ſit palpabile. vid. Ioſephi antiqu. Iud. L. II. C. 7.

SCHOL. II. Non eſt, quod dubites, ſpecies oppido plures dominii vtilis excogitari poſſe, ſed cum reliquae proprio Marte ex principiis ſubminiſtratis facile erui poſſint, nobis non licet eſſe prolixioribus.

SCHOL. III. Forſan quis poſtularet, vt de dominio agentes etiam de dominio brutorum, perſonarum, interimiſtico & eminenti diſſereremus. Quod autem ad dominium in bruta attinet, conf. Excell. I. G. Mullerum I. N. Eth. append. §. 1115. ſeq. & praeſertim §. 1121. n. 4. Canz. Diſc. mor. §. 1686. Hobbes de Ciue C. VIII. art. 10. Qua dominium interimiſticum ſ. putatiuum, de illo in 2da part. huius diſſ. locus agendi erit. Dominium in perſonas & eminens multa principia Iuris oeconom. & Publ. vniu. ſupponit, quorum eublutio non eſt huius loci. Interim de dominio in perſonas infra, quod ſatis erit, dicam. Qua dominium eminens ſequentia teneas.

SCHOL. IV. Ius dirigendi actiones arbitrarias ſubſtantiae intelligentis ad determinatum finem eſt *Imperium*. Determina illum finem, quod ſit Ciuitatis ſecuritas & habebis *Imperium Ciuile*. Pone, ſecuritatem totius Ciuitatis vere cum conſeruatione bonorum priuator. Ciuium collidere, & hoc caſu ſummae neceſſitatis ius de bonis Ciuium priuatis ſuo pro arbitrio diſponendi habebit Summus Imperans Ciuitatis (per ius publ. vniu.) Hac ratione Summo Imperanti *dominium* in bona Ciuium priuata tribuo, quod dicitur *eminens*. A nobis ſtant Ill. Dari. in Inſt. I. V. §. 700. COR. Summe Ven. I. E. Schubert in Vniu. Philoſ. Pract. §. 1989. cel. Canz. Diſc. mor. §. 1039. Ab hoc dominio eminenti, quod alii dicunt extraordinarium, dominium

am Summi Imp. eminens ordinarium in bona Ciuium priuata diſtinguunt, ſed cum hoc non ſit niſi ius vſu bonorum priuatorum publica ſupplendi (per Ius publ. vniu.) non eſt, quod illud dominium in bona priuata Ciuium eminens nominemus (per def. dominii §. 14. Cor. 1.) Si quis autem illud ius dominium vocare voluerit, per me licet, dummodo non poſthac ex notione dominii l. c. ſuppeditata ratiocinetur. Grotius primus eſt, qui hoc termino (dominio eminenti, ſupereminenti) vſus eſt; vid. I. B. & P. L. I. C. I. §. 6. L. I. C. III. §. 6. n. 2. L. III. C. 20. §. 7. n. 1. & 2. & §. 9. L. III. C. 19. §. 7. L. II. C. 21. §. 11. L. II. C. 14. §. 7, 8. ſi haec loca probe perpendis & ea ad principia I. Publ. Vniu. reuocas, nec Grotius nobis contradicere videtur, ne quidem in L. III. C. 20. §. 7. qui locus nobis apparenter maxime contrarius eſt. conf. & Hobbes de Ciue C. VI. art. 15.

CAP. II.
DE IVRE IN RE
NOSTRA ET ALIENA
SECT. II.
DE IVRE IN RE ALIENA.

§. 31.

SI nobis ius in re aliena a Domino conceditur, id fit vel in ſecuritatem crediti praeſtandam, vel ad certam quandam vtilitatem inde capiendam. Si prius, nomine *pignoris*, ſi poſterius, nomine *ſeruitutis* venit.

COR. I. Pignus itaque & ſeruitus ſunt ſpecies iuris in re (§. 11.)

COR. II. Cum ſeruitus ſit ius in re aliena, patet, rem noſtram nobis non ſeruire.

SCHOL. I. Ab hac ſeruitute toto coelo differt illa, quae in I. Oecon. explicatur, quam igitur *ſeruitutem oeconomicam* vo-

 care

care volupe eſt. De hac propter ſequentia paucis dicam: Eſt nempe ſtatus, quo quis perfecte obligatus eſt ad vtilitatem alterius operis ſuis promouendam, hinc liquet, quis Dominus, quis ſeruus ſit. Seruus autem vel omnibus operis ſuis ad vtilitatem Dni promouendam obligatus eſt vel non, ſi illud, oritur *ſeruitus perfecta*, in qua conſtitutus *mancipium* ſeu *ſeruus* κατ' ἐξοχὴν dicitur.

SCHOL. II. Cum Dominus de ſeruo eiusque corpore non pro arbitrio diſponere poſſit (per ius oecon.) conſtat, eum non eſſe Dominum Serui proprie talem (§. 14. COR. I.) ſiquidem autem operae ſerui ad τὸ ſuum Dni pertinent (per ius oecon.) de iis pro arbitrio diſponere poteſt, E. earum Dominus dici poteſt (§. 14. COR. I, II.) Ius vitae & necis, quod Dno in ſeruos competere poteſt, non eſt iuris herilis, ſed iuris belli conſectarium. conf. Ill. Dari. Inſt. I. V. §. 595. COR. III. Koehleri Exerc. Iur. Nat. §. 897. & eiusd. Ius Sociale, ſed nota Hobbes de Ciue Cap. VIII. art. 7. Pro ſeruo ſubſtitue ciuitatem, pro Dno ſubſtitue ſummum Ciuitatis Imperantem. Pone plenariam ſecuritatem non alia ratione, quam Ciuitatem in ſeruitutem redigendo obtineri poſſe, & videbis poſſibilitatem *regni*, quod certo reſpectu dominium eſſe poteſt (§. 14. COR. I, 12.) quod ab aliis dicitur *Patrimoniale*.

§. 32.

Seruitus conceditur vel perſonae, vel rei (praedii) poſſeſſoribus. Si prius, *perſonalis*, ſin poſterius, *realis* audit.

COR. I. Cum ſeruitus perſonalis alicui perſonaliter concedatur, ſequitur, eam morte huius perſonae ceſſare, ſed non item ſeruitutem realem.

COR. II. Ex eadem ratione ſequitur neminem ſeruitute perſonali gaudentem eandem in alium transferre poſſe.

§. 33.

Seruitus perſonalis igitur alicui perſonaliter ad vtilitatem quandam ex aliqua re percipiendam conceditur. (§. 32, 31.) Vtilitas autem rei alienae alicui conceditur vel

modo

Digitized by Google

modo limitato, vel non. Si hoc, dicitur *vſusfructus*, ſin illud, vel neceſſitate quotidiana reſpectiua circumſcribitur, vel alio modo limitatur. Si prius, *Vſus* vocatur. Hinc patet, quid *vſuarius* ſit & *vſufructuarius*. In vtroque caſu Dominus nomine *Proprietarii* inſignitur.

COR. I. Plus eſt in vſufructu, quam in vſu; differunt igitur vt maius & minus.

COR. II. Cum vſus neceſſitate quotidiana reſpectiua circumſcribatur, ſemper conditio vſuarii reſpiciatur, neceſſe eſt.

COR. III. Cum Vſus & Vſusfructus tantum vtilitatem ſ. conſectaria rei alienae reſpiciant, re aliqua vtimur & fruimur ſalua eius ſubſtantia, hinc vſuarius & vſufructuarius re ipſa aliena abuti nequeunt, quod ius ſoli proprietario competit (§. 22.)

SCHOL. Vſusfr. hic dicitur formalis, vt ab vſufructu cauſſali, qui Dno reſpectu rei ſuae competit, diſtinguatur. vid. Hein. Inſt. §. 416. & Noodt de vſufr.

§. 34.

Vſusfructus reſpicit vel aedes alterius, quatenus habitationi deſtinantur, vel non. Si prius, dicitur *Habitatio*, ſin poſterius, vel reſpicit operas ſerui alieni, (§. 31. SCHOL. I. II.) vel non. Si illud, *ſeruitus operarum* (ſeruilium) audit.

COR. I. Cum is, qui vſufructu aedium gaudet, omnem vtilitatem ex iisdem percipiat. (§. 33.) patet, vſumfructum aedium plus quam habitationem inuoluere.

COR. II. Qui vſu aedium gaudet, eas tantummodo, quoad ipſi neceſſe eſt, inhabitare poteſt, hinc plus eſt in habitatione quam vſu aedium. (§. 33.)

COR. III. Vſusfructus ſerui omnem vtilitatem per ſeruum percipiendam complectitur (§. 33.) hinc plus eſt in vſufr. ſerui, quam in ſeruitute operarum eius.

SCHOL. Genus habitationis & ſeruitutis operarum conſtitui vſumfructum, & id cum ratione factum eſſe ex ICtorum con-

ſenſu docere poſſem, ſi diſſertationis ſcopus permitteret in ſcholas ICtorum incurrere.

§. 35.

Seruitus realis conſideratur vel reſpectu diuerſitatis rei cuius poſſeſſoribus conceditur, vel reſpectu diuerſitatis iuris noſtri. Si illud, Praedium noſtrum, cuius intuitu Seruitus in re aliena conceditur, eſt vel *Vrbanum*, vel *ruſticum*. Hinc ſeruitus praedialis eſt vel *vrbana*, vel *ruſtica*.

COR. Cum *praedium* illud alienum, in quo habemus ſeruitutem, *ſeruiens*, & noſtrum praedium, cuius intuitu ſeruitus nobis competit, *dominans* dicatur, patet, ſeruitutes vrbanas & ruſticas a praedio dominanti & non a praedio ſeruienti denominandas eſſe.

SCHOL. Quid praedium vrbanum & ruſticum. vid. Hein. Antiquit. Rom.

§. 36.

Si ſeruitus realis reſpectu diuerſitatis iuris noſtri conſideratur (§. 35.) vel ſubſtantiam, ita vt Domini proprietas in actu 2do limitetur, vel conſectaria rei alienae concernit. Si illud, *ſeruitus negatiua*, ſin hoc, *affirmatiua* dicitur.

COR. I. Cum per ſeruitutem negatiuam proprietas Dni in actu 2do limitetur, Dnus reſpectu ſubſtantiae aliquid omittere tenetur, hinc *ſeruitus negatiua* reſpectu Dni *in non faciendo conſiſtit*.

COR. II. Siquidem Dnus pati debet, vt ſeruitute affirmatiua gaudens emolumenta rei ipſius percipiat, hoc reſpectu *Seruitus affirmatiua in patiendo conſiſtit*.

COR. III. Cum non implicet, quod ius nobis in re aliena ad vtilitatem mediante facto Dni exinde percipiendam concedatur, ſecundum I. N. poſſibile eſt, vt ſeruitus in faciendo etiam conſiſtat.

SCHOL. Qui plura de Seruitutibus earumque ſpeciebus deſiderat, is adeat Hein. Elem. I. C. L. II. Tit. III. & alios. Nobis enim non licet iuris naturalis limites violare, quapropter huic diſſertationi imponatur.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google